

06

A

1020





DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
**CURATORIBUS**  
**BONORUM**

*Quam*  
Divinâ Favente Gratiâ

*Ex*  
Consensu atq; autoritate Amplissimi ac Nobilissimi  
JCTORUM Ordinis in Illustrissimâ ad Albim Acade-  
miâ WITTEBERGENSI

PRÆSIDE

*Clarissimo & Consultissimo Viro,*  
**DN. JUSTO BERNHARDO**  
**HORNEN** / Herfurtense Westphalo J. U. D.

*Dn. Fautore, Promotore, ac Conterraneo suo*  
*quovis honoris cultu prosequendo*

*ad d. VI. IXbris.*

In Auditorio Jctorum  
horis matutinis

*Publicè ventilandam exhibet*

**FRANCISCUS OTTHO Rathers**  
Mind. Westphalus.

---

*WITTEBERGÆ,*  
Ex officinâ Typograph. MICHAELIS Wendt.  
Anno MDC XLVIII.

VIRIS

*Amplissimis, Excellentissimo, Consultissimis, Prudentissimis, Spectatissimis.*

Dn. HENRICO *Smitting* / CONSULI  
de Rep. Patriâ MINDENSI optimè merito.

Dn. CONRADO *Hoyern* / J. U. D. & inclu-  
tæ Reip. Mindensis Syndico longè celeberrimo.

Dn. HENRICO *Borries* / S. S. L. L. Candidato  
& Reip. Patriæ Camerario ac Senatori gra-  
vissimo.

Dn. LEONHARDO à *Bippen* / Camera Im-  
per. Immatriculato Notario, & ejusdem Reip.  
Mindensis Secretario fidelissimo.

Dnn. Adfini, Evergetis, Patronis ac Pro-  
motoribus suis debitæ observan-  
tiæ ac honoris cultu æternum pro-  
sequendis

*In grati animi Symbolum & ulterioris favoris suscita-  
bulum, exercitium hoc Academicum*

D. D. D.

06 A 1020 FRANCISCUS OTTHO *Kothen* Mind.  
Westph. A. & R.



## DISSERTATIONIS JURIDICÆ

De

## CURATORIBUS BONORUM

## PRÆLOQUIUM.



Uam utile & necessarium fuerit, simulac Jure extraordinario omnibus in judicijs *S. fin. J. de interd.* uti coeptum in distrahendis obætorum bonis, Curatores, (qui debitore vivo olim Magistri bonorū dicebantur. *Rævard. ad l. 178. ff. de R. J. Goedda. ad l. 57. ff. de V. S. n. 2. & 3. Theoph. §. 1. de succes. subl.*) continuere, nemini nisi in jure hospiti ignotum esse potest; quippe quo debitorum famæ, quæ capitali æquiparatur, arg. *l. 8. §. 2. ff. quod met. caus.* nec minori studio quam vita ipsa nobis cordi esse debet, arg. *l. 9. ff. de manum. vind.* & omni commodo pecuniario præferenda. *Proverb. 12. v. 1.* imo gravior amissione oculorum *l. 8. C. de Decur.* optimè consuleretur *Dd. ad l. 1. J. de success. subl.* Quod licet postea *l. 11. C. ex quib. caus. infam.* sit sublatum, pio nihilominus remedio, ut Curatores, illi tam vendendis quam custodiendis etiamnum præficiantur, ipsorum maximè Creditorum gratia est inductum. Hi enim non petito Curatore hereditati jacenti, judicium contra illam cum effectu non intentare, minus ad bonorum executionem, nisi in casibus celeritatem desiderantibus, pervenire possunt; Cum res hereditariæ non existente herede, nullius in bonis sint *l. 1. ff. de Rer. Divis.* atq; ita una persona, puta Reus deficiat; Judicium autem ex tribus personis constare, tralatitium est *forum X. de V. S. l. 58. ff. de Judic.* Nicol. Vigel. *M. Obs. Cam lib. 3. c. 4. reg. 4. Gail. 2. Obs. 130. n. 2:* ubi refert Angelum hæc ratione plures Processus contra hereditatem jacentem absq; Curatore intentatos destruxisse: Imò & debitorum non rarò interfit, ceu eleganter ostendit *Donel. 23. Com. 17.* Humanis enim necessitatibus quotidie emergentibus, quis non utilissimum ac necessarium videt, ut quod ipsi non præstare, per alios efficere possimus, alijq; aliorum beneficijs atq; auxilio benignè gaudeant & fruantur? Nam, ut inquit

Imp. 7. de his per quos ag. poss. & morbus & ætas & necessaria peregrinatio, itemq; aliæ multæ causæ sæpè hominibus impedimento sunt, quominus ipsi rem suam exequi possint. De quâ Curatorum materiâ, sanè, ut dictum, utilissimâ juxta ac frequentissimâ, Theses quasdam examinandas proposituri, exemplo Gloriosissimi nostri Imp. ex præem. de concept. ff. æterno D E I auxilio implorato, protinus ad definitionem, M. Tullij præcepto 1. offic. ut sciatur id de quo disputetur, nos accingimus, & Curatorem Bonorum sequenti describimus modo.

### THESIS I.

Curator (a) bonorum (b) is est, qui bona aliena (c) ad instantiam (d) Creditorum (e) vel ex officio judicis (f) mutuâ constitutus voluntate, (g) administrat (h)

- A. (a) A Curando sic dictus Don. lib. 3. Com. 7. Et sumitur hoc vocabulum vel generaliter pro Curatore rerum quarumvis l. 1. ff. ne quid in loc. sacr. l. fin. ibiq; Gothofr. & Dd. de offic. Præf. urb. vel specialiter, pro administratione rerum ejus, qui ipse ob ætatem, ut Minores pr. 7. de Curat. vel mentis imbecillitatem, ut furiosi §. 3. J. d. 1. & ut ff. & C. de Curat. Furios. Mente capti d. §. 3. aut corporis vitium, ut muti, surdi & perpetuo morbo laborantes §. 4. J. de min. aliamve ob causam rebus suis superesse non possunt vel nolunt, quæ omnia persequi nostri non est instituti; In præsentia de illis præcipuè, qui bonis obætorum præponuntur dicturi: qui proximè ad naturam Procuratorum accedunt, quorum nomine etiam quominus veniant, hoc solum ob stare dicit Bachov. ad Treut. Vol. 2. D. 24. tb. 3. lit. F. in fin. quod ex ratione juris hi non nisi à Domino constituentur. Jique bonorum Curatores varijs de causis dari consueverunt, ceu earum quatuor genera recenset Donel. 3. Com. 23. & latè prosequitur Menoch. A. J. Q. lib. 2. cent. 2. cas. 150. quæ omninò quoad diversos juris effectus distinguendæ sunt, v. g. Ita cura bonorum non ex omnibus causis munus publicum est, ut necesse sit eam ex omnibus delatam subire, quemadmodum in eo qui bonis latitantis datur ex l. 2. §. queritur ff. de cur. bon. dand. apparet, & videri de eo potest Donell. d. l. (b) Ad differentiam supra recensitorum, quorum cura etsi primariò & bona respiciat, secundariò tamen & per
- B.

per consequens, personas, quibus bona ancillantur, afficit, præcipuè furiosorum & mente captorum *l. 7. ff. de Curat. furios. Dn. Ludvvell. dis. Inst. 3. th. 9. lit. B. (c)* In proprijs siquidem bonis nemo constituitur Curator arg. *l. 42. §. 3. ff. de Procur. cum res sua nemini servire dicatur l. 26. ff. de S. U. P. l. 5. ff. si usus fr. pet.* Potest tamen unus Creditorum Curator constitui arg. *l. 2. §. 4. ff. b. t. l. 7. §. 10. & l. 8. junct. l. seq. ff. ex quib. caus. in poss. eat.* qui non tam proprijs, quam Communibus præficitur arg. *l. 9. §. 4. ff. de reb. aut. jud. poss.* ac per omnia ferè ut socius reliquis tenetur, nisi quod levem culpam non præstet Vid: *th. 9. lit. D.* quam tamen à Socio exigì constat §. *fin. J. de Societ. l. 72. ff. eod. l. 5. §. 2.* ibique Gothofr. *lit. H. ff. commod.* Quod verò sub hâc litera, de bonis alienis dictum, id quam maximè de absentis vel vagabundi Debitoris, qui emanere cœpit, nullo ad negotia relicto Procuratore intelligendum est: Si enim eum reliquisset donec reverteretur, frustra de dando Curatore esset actio, quemadmodum in terminis respondendo tradidit Socin. *Jun. lib. 2. Cons. 26. (d) l. 2. pr. ff. de cur. bon. dand.* cum Judex officium suum regulariter non impertiatur, nisi à parte imploratum fuerit *c. bonæ memoria X. de postul. præb. Gail. 1. Obs. 50. n. 6.* quamvis bonis vendendis privato consilio Curatorem eligere possint *l. ult. ff. b. t.* Qui tamen si rem ex actius consideraverimus, verè Curator non est: Eoque, ut non tenetur ijs à quibus non est electus; Ita etiam his res administrando nihil nocet *d. l. ult. ff. b. t. Donel. 23. Com. 17.* Eleganter Anton. Fabian. *Jurispr. 12. princ. 3. (e)* Omnium vel majoris partis *d. l. 2. ff. de cur. bon. arg. l. 3. ff. quod cujusq. univ. nom. l. 19. ff. ad municip. l. nominationum 45. C. de Decur. 10.* Quamquam autem majorem partem consentire sufficiat, omnes tamen citandi sunt; quod enim omnes tangit, ab omnibus debet adprobari *l. fin. C. de auth. præst.* Qui si emanent, nihilominus præsentem actum perficere posse ex Bartolo tradit. *Wes. π. ff. quod cujusq. univ. n. 4.* per *Auth. si omnes C. si minor. se hered. abstin. (f)* Si videlicet convenire non possint, aut nemo id onus subire velit, & judici notum sit bona dissipari *l. 2. pr. ff. d. t.* ibique *Wes. n. 3.* Postulante enim Publicâ utilitate, ex communi Dd. sententia, Judex etiam parte non petente, officium suum interponit & curato-

C.

D.

E.

F.

A 3

rem

- rem ex officio nobili constituere potest *l. 2. §. 3. ff. eod.* Quis vero  
 iudex Competens, tradit Don. 3. *Com. 23. §. 23. Comm. 17. ibiq.* Hillig.  
 (g) Invitus enim Curator nisi urgente necessitate non constituitur  
 G. *d. l. 2. §. 3. ff. de cur. bon. dand.* Et si enim hoc munus personale *l. 1.*  
*§. ult. de muner.* non tamen simpliciter, quale publicum, quod de-  
 tractare non licet. [b] text. est *l. 2. §. ibid.* Bart. *n. 1. ff. de cur. bon.*  
 H. Quâ in descriptione exemplo Jcti *l. 1. ff. de Procur* Genus, nimirum  
 Gestor five Administrator, brevitatis, (cui maxime studendum *l. 39.*  
*§. 1. C. de appel.*) five Cacophoniam evitandæ gratiâ, omisimus.

## II.

Divisio Curatorum desumitur ferè ex modo Con-  
 ventionis (a) quo alius Generalis vel Specialis: (b)  
 Judicialis vel Extrajudicialis est. (c)

- A. (a) Siquidem pactum hoc ita servandum, ac si naturalis sit con-  
 tractus arg. §. 3. *J. de locat. l. 2. pr. C. de Jur. Emphyt.* cum hic ex Con-  
 ventione legem & formam capiat arg. *l. 1. §. 6. ff. de pos. l. 52. ff. de V.*  
*Obl. l. 23. l. 34. ff. de R. J. l. 43. ff. de pact.* & nihil magis congruum sit  
 fidei humanæ, quam ea quæ placuerunt custodiri *l. 1. ff. de pact. l. 20.*  
 B. *C. de Transf.* (b) Ille & universalis vel cum liberâ administrandi po-  
 testate, ut Procurator, vocari potest *l. 58. ff. de Procur.* qui majorem  
 ac liberiore tractandæ rei potestatem habet, & cui omnium bo-  
 norum administratio concessa, qualis esse putatur à Præatore consti-  
 tutus, qui plus juris habet, videlicet jus exercendi actiones *Vid. th. 8.*  
*Bachov. ad Tr. Vol. 2. dis. 24. th. 3. lit. F.* Quamvis quoad plenam re-  
 rum administrationem, inter hos & Curatores furiosorum, pupil-  
 lorum &c. maxima sit differentia *l. inter 48. ibiq.* Gothofr. *ff. de ad-*  
*min. §. per. tut.* Hic, (Specialis) qui certæ alicui rei, ut si latè sit dif-  
 fusum Patrimonium, præficitur arg. *l. 14. §. fin. ff. de tutel. l. 27. ff. de*  
*tut. aut cur. dat. ab his &c.* (c) Is iterum ut lites suscipiat & in judi-  
 cio prosequatur, qui Curator ad litem dicitur. Hic verò ut Extra-  
 judicialia & bona privatorum administret: Et hi multorum gene-  
 rum sunt: Est enim alius ut solvat Creditoribus *l. fin. ff. de Cur. bon.*  
*dand.* alius bonis præsentis *l. fin. §. 1. C. de bon. qualib.* Nov. 117. c. 1.  
 alius bonis defunctorum jacentiq; hereditati *l. 1. ff. de Cur. bon. tand.*  
*l. 8.*



*l. 8. ff. ex quib. caus. in poss. alius absentium l. 6. ff. d. t. alius debitorum solvere nolentium sive fraudulenter latitantium (qui vulgo falliti & bancarotti, sive Bancaruptores, Gallicè Banqueroutiers, Germanicè Bancsherottirer quasi banco seu bancaruptirer Vid Besold. Thesaur. pract. lit. B. h. voc. dicuntur) gloss. in d. l. 2. de Cur. bon. dand. ubi distinguit inter latitantem & absentem, ut illius bona absque Curatore distrahi possint; hujus vero Curator dandus sit. Forster. Proces. Judic. Cam. tit. 28. §. 2. Gail. 2. Obs. 130. n. 12. Rosbach. proc. Jud. Civ. tit. 16. n. 2.*

### III.

Sequuntur personæ, quæ Curatores constituere vel constitui possunt. Videamus quænam prohibeantur, quibus cognitæ quænam admittantur intelligemus. (a) Prohibentur autem omnes, quæ consentire non possunt. (b) Sed & illæ quæ quidem consentire, tamen vel ratione ætatis (c) vel etiam ob qualitatem extrinsecam adhærentem (d) rectè recusantur.

(a) Contrariorum enim eadem est disciplina *Ed. ad pr. Insts de his qui sunt sui vel al. jur. (b) Consensus siquidem in omnibus contractibus essentialis est. l. 1. §. 3. ff. de pact. Unde furiosos, infantes & similes ut ab omni, ita ab hoc contractu prohiberi & contra mutos ac surdos, quatenus consensum præstare nutu vel scripturâ possunt l. 52. §. 1. ff. de O. & A. l. 93. §. 1. ff. de adqur. vel amit. hered. admitti consuetarium est. (c) ut minor viginti quinque annis, Gloss. l. 2. in verb. Curatorem ff. de cur bon. dand. Absurdum enim esset illos alienis curandis adhiberi, qui ne sua quidem ob ætatem possunt §. item 13. f. de excus. tut. l. ult. C. de legit. tut, quam ob causam & ipsi curatore indigent l. 1. ff. de minor. (d) ut sunt servus & deportatus, miles, Clericus, foemina, Criminis reus &c. Servi enim Jure Civili pro nullis l. quod attinet ff. de R. J. Deportati pro mortuis habentur l. 1. §. pen. ff. de bon. poss. contr. tab. Milites ob publicam utilitatem à signis recedere non debent. Gloss. l. pen ff. ex quib. caus. maj. Clerici, cum milites sint Christi, desinunt esse milites seculi c. placuit 3. caus. 21. q. 3. Foeminae etiam non tam ob Sc. Vellejanum quam quod hoc virile sit officium l. 2. ff. de R. J.*

A.

B.

C.

D.

R. 7. Criminis rei verò, ob læsionem existimationis (debent enim Curatores omni suspitione carere. Menoch. de A. J. Q. lib. 2. cen. 2. caus. 150. n. 24.) licitè repelluntur. Quod verum, si hi tales fuerint tempore Constitutionis, secus si postea superveniat crimen, quia actus subsistit, licet per exceptionem ex post impediri potuerit. Vant. de nullit. ex inhab. seu def. mandat. p. m. 399. n. 136.

I V.

Materia sunt res omnes sub custodiam & curam cadentes, tam mobiles quam soli (a) exceptis illis quæ privatorum commercio exemptæ sunt (b)

- A. (a) Hoc est immobilis. Rei appellatio latissima est l. 23. ff. de V. S. adeo ut vulgò hoc vocabulum transcendens appelletur. Quid enim in hæc universà naturâ reperitur quod res non sit? Gothofr. ad l. 1. §. 1. lit. A. ff. de Reb. Cred. Nos illud exclusis personis tam ad corporalia quam incorporalia hoc loco extendimus, arg. pr. J. de reb. corp. & incorp. (b) Eximuntur autem quædam naturâ, quædam Jure l. 34. §. 1. ff. de contrab. empt. Naturâ eximuntur res, quæ neque sunt, neq; futuræ sperantur §. 1. J. de inut. stipul. l. 35. ff. de V. O. l. 1. ff. de O. & A. l. 61. ff. de contrab. empt. Jure commercio exemptæ sunt res Sacræ, religiosæ & Sanctæ §. 4. & seqq. J. de rer. Divis. Vid. Goed. ad l. 23. ff. de V. S.
- B.

V.

Forma sive modus constituendi hunc Curatorem in his præcipuè consistit, ut Judex citet omnes Creditores & quorum interest (a) Deinde, ut de jure, propter quod petitur certior redditus (b) à Curatore constituendo juratoriam cautionem exigat (c) illumque in quasi possessionem bonorum mittat. (d)

- A. (a) In omnibus siquidem actibus, quæ causæ cognitionem desiderant, quæq; in præjudicium partis adversæ, cujus interest, fiunt, citatio requiritur l. 47. ff. de re judic. l. 39. ff. de adopt. Ideoque si peccatur hereditati jacenti (Dicitur autem hereditas jacens quando spes

Spes adhuc superest hereditatem adiri posse, alias vacans vocatur, quæ ad Fiscum ex L. Juliâ Caduciariâ pertinet *l. 96. §. 1. de leg. 1. Gail. 2. obs. 130. pr.*) citandi sunt omnes, quos prima successionis causa ex testamento, vel ab intestato contingit, addito competente termino ad adeundam vel repudiandam illam *l. 1. cum seq. ff. de Jur. delib.* quo effluxo, si nullus appareat, fit immissio ex primo decreto & Curator constituitur, ut interim Creditores custodiam habeant, qui si omninò contumaciter emanere pergant citati, secundo Decreto possideri bona & venire jubet Prætor, *Gail. 2. Obs. 130. n. 3. Rosb. proc. Jur. Civ. tit. 16, n. 5.* Jus autem Saxonicum speciem missionis ex primo Decreto ob contumaciam Rei fugientis Judicium, in actionibus, sive personalibus, sive rei persecutorijs non agnoscit, sed simpliciter contumacem, tanquam convictum & confessum usque ad legitima impedimenta, bis auff Ehehafft condemnat, *Coler. Proces. execut. p. 1. c. 2. n. 14. cum seq. idq; ob text. Landtr. lib. 3. art. 39. vers. also thut.* Quod confirmavit Nova Ord. Jud. Serenissimi Electoris nostri Joh. Georgij *tit. 10. Wie wieder die aussenbleibenden Parteyen procedirt werden soll. Verlich. lib. 1. conclus. pract. 17. n. 47. & seqq.* (b) Justa enim causa subesse debet petendi Curatorem, videlicet quando bona dissipantur (quod ipsum ab asserente probari debet *Angel. Consil. 193. Col. 1. in fin. per l. 4. C. de postl. rev.* vel Creditores urgent, & sibi satisfieri petunt, vel alia deniq; existat necessitas, *Menoch. A. J. Q. lib. 2. cent. 2. cas. 150. n. 15. Vant. de nullit. sent. ex inhab. n. 147.*) (c) Regulariter quidem Curator ejusmodi antequam administrationem suscipiat, satisfacere debet *l. cum cognatos 3. C. de post. rev.* idq; ad exemplum reliquorum Curatorum *l. 7. §. 1. & 2. l. bonorum 8. ff. de Cur. furios.* *Menoch. A. J. Q. cas. 150. n. 26.* Id tamen secus se habet, si ex inquisitione detur, arg. *d. l. 8. ff. de cur. fur.* Et quam maximè fallit in nostro Curatore latitantis debitoris bonis dato: Nam hic cum nisi Volens Curator fiat *l. 2. §. queritur ff. b. t.* non potest invitus Satisfactione onerari: Alioquin hæc exactâ, dicturus sit, se Curatorem esse nolle, quod ipsi conceditur, eum inquit *Donel. 3. Com. 23.* Juratoria autem hæc cautio exigitur tempore interpositi Decreti *Auth. quod nunc generale. C. de Curat furios* Jurare autem debet, se nimirum utilia facere, & inutilia præter-

B

mitte-

B.

C.

mittere, ac tanquam res proprias gubernare velle. *l. 27. C. de Epist. aud.* qui textus etsi de Curatore furioso loquatur, attamen ad quos-  
D. cunque alios Curatores pertinet atq; extenditur per, *d. Auth. (d)*  
Menoch. *d. cas. 150. n. 27.* Q. hic loci. An mittere in possessio-  
nem Jurisdictionis vel Imperij sit? Quâ in quæstione miris modis  
sibi contrariantur Dd. Nos communissimæ istorum sententiæ,  
qui mixti Imperij esse statuunt, album (quod dicitur) calculum  
adjicimus, moti *l. 3. ff. de Jurisdic. Goehaus. peric. Acad. 3. q. 20.*  
*Vaud. 2. var. quest. 33.*

## V I.

Antequam autem ita constitutus administret, bo-  
na describere (a) & copiam Creditoribus, quando fue-  
rit petitum, exhibere debet (b).

A. (a) Francisc. Munoz. de Escobar. *tract. de ratioc. admin. c. 9. n.*  
*24. & 25.* Q. Annon hic Curator Inventarium solenne conficere  
teneatur, ut pro ejus omissione in litem contra illum jurari possit?  
Id quidem existimant Menoch. *A. l. Q. d. cas. 150. n. 26.* Gail. *2.*  
*Obs. 130. n. 5.* Contrarium tamen propugnat Escobar. *d. tract. n.*  
*25. & seqq.* Quamvis enim confectio inventarij legitimæ admini-  
strationis nomine contineatur Gloss. *l. 2. ff. ad Sc. Tertull.* & tuto-  
res atque alij publicam quodammodo administrationem habentes,  
inventarium solenne conficere teneantur *l. 7. ff. de adm. & per tut.*  
*l. 24. C. eod. l. fin. §. 1. C. arbitr. tut. Policen. Ord. de Anno 1577. tit. 32.*  
*Von Pupillen §. Item daß er nach befohlner &c.* Attamen his Cura-  
toribus & alijs privatim administrantibus, si saltem simplicem bo-  
norum descriptionem confecerint sufficere, non malè existimant  
præd. Escob. *loc. alleg.* & Molin. *de Hisp. primog. lib. 10. c. 28. n. 9.*  
Quibus & nos, maximè si bona tantum in immobilibus, quæ facile  
latere non possunt, consistant, subscribimus, nisi talem apertè in do-  
lo versatum fuisse constiterit. arg. *l. 4. C. de in lit. Jar. (b)* Sumptibus  
illorum. Qui enim aliquid fieri desiderat, ejus sumptibus regula-  
riter fieri debet *l. 4. in fin. ff. de edend. l. ult. C. de fid. Instr.*

## VII. Qui-

Quibus requisitis præcedentibus ad, officium  
ejus pertinet, ut bona suæ fidei commissa, prout po-  
test, licet & par est, defendat, tueatur, administret (a)  
impensas necessarias in bona conferat (b) de admi-  
nistratiōe librum rationum conficiat (c) Et denique  
ea omnia præstet, quæ vel pacto illorum adjecto, vel  
judicis sententiâ continentur. (d)

(a) Gloss. l. 1. § ibi Bart. ff. de Cur. bon. dand. Quod autem  
per ipsum non stat, quominus fiat, ipsi non est imputandum, sed  
perindè haberi debet, ac si effectum esset. Nec enim de casu for-  
tuito, sive vi majori accidentibus, quæ regulariter à nullo præstan-  
tur, (cum cuius etiam diligentissimo eveniant,) tenetur §. 2. Inst. quib.  
mod. re contr. obl. l. 6. C. de pign. act. Gail. 2. Obs. 21. n. 2. Inter quos  
recensentur mortes animalium, fugæ servorum, rapinæ, tumultus,  
incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum &c. l. contra-  
ctus 23. in fin. ff. de R. I. Dn. Carpzov. J. F. S. p. 2. C. 26. d. 15. n. 3. (b) Quæ  
impunè omitti non possunt, adeò ut Judex Curatorem in id quan-  
tum interfuerit eas impensas factas esse, condemnare possit arg. l. 9. §.  
6. ff. de reb. aut. jud. poss. l. 4. ff. de imp. in res. Dot. fact. Vocantur alias im-  
pendia l. 28. §. 2. ff. com. mod. l. 15. ff. de impens. in res. dot. reputationes  
l. 2. ff. ubi pup. educ. erogationes l. liberto 31. §. 4. ff. de neg. gest. l. fin. ff. de  
pet. her. l. 3. §. 1. ff. de impens. meliorationes l. fin. C. de neg. gest. l. 2. C. de  
jur. Emb. Sunt autem Impensæ vel necessariae, utiles, & voluptua-  
riæ l. Impensæ 79. ff. de V. S. l. 1. l. 5. l. 7. l. 9. l. 14. ff. de impens. de quib. Vid.  
Goed. ad d. l. 79. ff. de V. S. ubi rectè has species ab usu & fine depen-  
dere asserit, ita ut hæc vel illâ circumstantiâ accedente una spe-  
cies in alterius sedem transire, ejusque naturam induere possit. (c)  
Gloss. l. 2. §. ult. ff. de cur. bon. dand. Est enim de substantia actus ad  
ministratoriij l. 1. §. 3. ff. de tut. & rat. distr. De qua quæritur quid sit?  
Ulp. l. 6. §. 3. ff. de Edend. rationem ulro citroque dandi, accipiendi,  
credendi, obligandi, solvendique negotiationem esse definit. Bald.  
rubr. C. de fid. instr. n. 31. dati & accepti commemorationem. Quæ

B 2

vero

verò formâ confectus esse debet liber rationum, ut ipsi fides adhibeatur? Formam ejus singularem tradit Molin. *Consuet. Paris. tit. 1. §. 6. n. 17.* Menoch. verò *A. 7. Q. vol. 2. cas. 209. n. 12.* Mascard. *de prob. Con. 253. n. 3.* totum hoc iudicis arbitrio committendum voluerunt; pro quibus & nos facimus, modo ut consuetudinem loci observet Curator, & ita componat, ut ex illo computationes, probè an improbè sint relatæ, explorari possit. Tunc autem computationes rectè explorantur, cum acceptum benè latum est, & expensum similiter probè est expensum *l. 82. ff. de cond. & demonstr.* Debent enim quæ receperunt scribere nominatim à quo, quave de causa *l. 5. C. de ex act. tribut. cui dederint, l. 4. C. de suspect.* Item diem & Consulem sive annum, quoniam accepta & data aliàs apparere non possunt *l. 1. §. 2 l. 6. §. 6. ff. de Edend.* Non tamen nocere omissionem diei, quominus tali libro credatur ( dummodo expressa sit causa, rationes ex tali libro rectè conferri possint, neque ex ejus omissione aliqua emerferit ambiguitas sive incertitudo ) concludunt Mascard. *de prob. vol. 2. concl. 976. n. 11.* Sichard. *ad l. 3. C. de reb. Cred. n. 36.* Modicus namque defectus non vitiat rationem Munn. de Escobar. *tract. de ratiocin. c. 10. n. 55.* quod rationis receptio scrupulosa esse non debeat. Menoch. *d. cas. 209. n. 34.* Covarruv. *pract. quest. c. 20. n. 2. in fin.* Administratores igitur omnia singulariter explicitè & particulatim in libris suis describentes, suam diligentiam & bonam fidem demonstrant. Escob. *d. tr. c. 10. n. 47.* Mascard. *vol. 2. Concl. 975. n. 7.* (d) nisi sit facti naturâ vel Jure impossibile, quorum nulla obligatio. *l. impossibilium. ff. de R. J.*

D.

### VIII.

Diximus de Officio Curatoris Bonorum; nunc de ejus potestate, quousque sese illa extendat haud incommodè quæritur? Et præcipue illam in Conservatione bonorum consistere dicimus.

*L. 8. ff. ex quib. caus. inposs. eat.* Menoch. *A. 7. Q. lib. 2. cent. 2. cas. 150. n. 28.* Præterea competunt illi actiones perinde ut Domino, quibus rem defendat, ut pro ejus defensione convenire & conveniri possit.

possit. Sichard. *ad l. unic. C. de probib. seq. pec. n. 17. & seqq.* quas tamen actiones ad utiles saltem restringimus. *l. 2. §. 1. hic.* Nemo enim actiones directas habere potest quæ alteri prius quæsitæ, cum eæ à personâ separari nequeant *l. 55. ff. de procur. l. 60. ff. ad Trebell. Anton. Fabian. Jurispr. 12. princ. 3. Hillig. ad Don. 23. Com. 16. lit. D.* Unde exigere & debita persolvere, res tempore perituras alienare, imo & non perituras si grave æs alienum vel alia urgeat necessitas, potest *l. 48 ff. de adm. tut. l. 23. Ibiq; Goth. lit. P. ff. de hered. inst. Donel d. l. in fin. Menoch. cas. 150. n. 30.* Quæritur an & donare queat? Quod regulariter, nisi in utilitatem rei, cui præpositus est, negamus. Cum vulgare sit juris axioma, quod tutor vel administrator donationem vel liberalitatem, de rebus sui principalis exercere non valeat *l. ult. ff. de curat. furios. l. 22. l. 46. §. 7. ff. de admin. & peric. tut.* Ratio est, quod donare sit perdere *l. 7. ibiq; Gothofr. ff. de donat.* Quod tamen ita limitant Dd. Nisi (1) modicè sit datum *arg. c. ceterum X. de donat.* Cui enim libera conceditur, censetur permissa donatio quæ fieri consuevit. *Garz. de expens. c. 20. n. 9.* quod an factum sit vel non, ex negotij gesti qualitate, peragendi difficultate & donantis fidelitate dijudicandum censemus. Multa namque prudenti ex causa, negotiatione, & donorum largitione brevi temporis compendio, & absque multo pecuniarum dispendio peraguntur, quæ alias etiam superabundante justitiâ difficillimum exitum sentiunt, inquit Escobar. *d. tract. c. 25. n. 9. in fin.* (2) Nisi in remunerationem servitorum præstitorum sit donatum, quod exemplo tutorum facere potest *d. l. 12. §. 3. ff. de admin. tut. l. 4. ff. ubi pup. educ.* Ratio; quia Donatio remuneratoria non est simplex donatio, sed potius debiti solutio. *Garz. d. tr. de donat. remun. n. 23. n. 24.*

## IX.

De Curatoris bonorum Constitutione hætenus; restat, ut quibus modis ejus cura finiatur, paucis agamus. Finitur autem contraria partium voluntate (a) morte Curatoris (b) finito negotio sive tempore, ad quod præpositus fuit (c) interitu rei (d) suspecti postulatione (e) & alijs modis. (f)

B 3

(a) l. 35.

A. (a) l. 35. ff. de R. J. Cujus enim est mandati legem dare, ejus est  
& revocare l. 14. ff. de re jud. & cujus in favorem contrahitur, is illo re-  
ctè renunciat l. pen. C. de pact. dummodo tempestivè & re adhuc in-  
tegrâ, h. e. cum nondum coepit interesse l. 8. §. 6 ff. mand. fiat, §. 9. Inst.  
cod. l. 16. ff. mand. Mandatum a. durat, donec voluntas mandantis  
durare præsumitur, l. 12 §. 16 ff. mand. l. 4 ff. de manum. vind. l. 11. §. 1. C.  
de Satisd. l. 65 ff. de Procur. quod tandiu fit, donec contrarium sive  
mutatio voluntatis, quæ est facti, probetur, l. 22. ff. de probat. c. maje-  
res in fin. ub. gloss. extr. de baptism. Ostendetur autem contrarium,  
si legitimè constet de expressâ vel tacitâ constituentium contrariâ  
voluntate. Expressâ, si per publicum Instrumentum, aut alio, quo  
ipsum constitnere modo (modus enim & solennitas servata ad in-  
ducendum, servabitur etiam ad resolvendum) legitimè ac formi-  
ter intimari faciant eidem, ne ulterius administret inhibendo,  
quod etiam si jurassent, se non revocatuos, facere posse, licet periuri-  
ri fiant, existimat gl. c. fin. in verb. revocatus. de procur in 6. Tacitè  
contrariam voluntatem intervenisse apparet, si constituentes alium  
Curatorem bonis, ad quæ hic singulariter & in specie constitutus e-  
rat, substituunt. Nam posteriorem dando, priorem agere prohi-  
buisse videntur, l. 31. §. ult. ff. de Procur. c. non injuste. 14. extr. cod. U-  
nius quippe inclusio est alterius exclusio. l. 12. ff. de judic. Q. An Cre-  
ditores Curatorem hunc vi militari de possessione vel quasi deijcere  
possint? Absit; cum naturaliter contrarium, ut quis sibi ipsi  
per vim jus dicat, arg. l. 176. ff. de R. I. imò periculosum ac pessimi  
exempli. l. un. C. ne quis in sua caus. adeo, ut, si hoc attentaverint,  
pœnæ l. 7. C. und. vi. subjaceant. Quam pœnam etiam hodiè adhuc  
usu frequentari cum Menoch. rem. recup. poss. 9 n. 8. & statutis passim  
explicari asserimus, Treut. Vol. 2. D. 25. th. ult. lit. C. ibiq. Bachov. cum  
tanta furioris audacia impunita esse non debeat, d. l. 7. C. und. vi. §. 1.  
Inst. de vi bon. rapt. Hillig. ad Don. 15. comm. 30. lit. B. & novissimè  
Dn. Ludwell D. Inst. 15. th. 4. lit. A. Dissent. Covarruv. 3. Var. resol. 16. n.  
7. Quid? quod eo casu spoliato, omnia, cujus possessione dejectus  
est, etiam si nihil omninò juris in re ista habeat, sint restituenda. l. 7.  
C. ad L. Jul. de vi publ. Eum namq; favorem jura possessioni, ob  
publicum indulserunt bonum, ut neminem, quicumque tandem  
ille



ille sit, absque judiciali cognitione, possessionis jure, privari velint, ut præter alios notat Sichard. *ad l. 6. C. de Serv. fugit. n. 6.* Menoch. *rem. recup. poss. 1. n. 329.* Gail. 2. *Obs. 76.* Covarr. *in c. 23. n. 3.* Scurf. *Cent. 2. Cons. 58. n. 2. & Cent. 3. cons. 6. n. 7.* ubi ait, ne judicis quidem eam esse potestatem ut sine sufficienti causæ cognitione, quempiam possessione privare possit, quod & ad Principem rectè accommodat Wesenb. *Cons. 48. n. 53. & seq.* cum absq; urgente necessitate, nemini jus suum auferre possit, Dn. Ludwell. *ex Treut D. ad Inst. 1. tb. 13. lit. D. in fin. (b)* Quà voluntas hominis regulariter finitur, quâq; quis velle desinit, *l. 4. ff. locat.* Electa enim videtur industria, quæ personæ cohæret, *l. un. §. 9. C. de Caduc. toll.* Licet jus & obligatio aliquando duret utilitatis causâ, *l. 41. ff. de reb. cred.* ut nimirum inchoata à defuncto, heres ejus explicet. (c) Quando videlicet sub conditione aliqua est datus, quâ existente, & ejus administratio expiret, necesse est. Donell. 3. *Comm. 23. circ. fin.* (d) Sine dolo ejus, vel etiam, uti vult gloss. latâ culpâ, quæ duo hic regulariter præstat, *l. 8 §. 3. ibiq; Gloss l. 9 §. 5. ff. de reb. aut jud. poss. arg. l. quod Ner- va 32. §. depos. l. 1. §. 1. ff. si mens. fals. mod. dix.* Cum enim jus sit in re, quâ sublata, & ipsam rei curam tolli, consequitur: quia non Entis, nullæ sunt qualitates, vel affectiones. Extingui autem potest incendio, chasmate aut terræmotu, *l. ex conducto 15. §. 2. ff. locat.* Inundatione, *l. 30. §. 3. l. 21. §. 1. ff. de acquir. poss. calamitate belli, l. 12. §. fin. ff. de reb. aut jud. poss.* (e) Ob dolum sc. vel latam culpam, & ita remotus, ob dolum quidem fit infamis, ob culpam non æquè: Et ea sententia non modo communis ac humanior, sed & ipsi juri conformior est: Idque ob elegantissimos atque clarissimos textus *in l. 3. §. fin. & l. 4. ff. de susp. tutor. l. fin. verb. non etiam. C. eod. l. 2. C. de tut. vel cur. qui satis non ded. & Veterum autoritates Angel. de Aret. in §. 6 Inst. de susp. tut. n. 7.* Wesenb. *d. §. 6. & π. ff. de suspect. tut. n. fin.* Gail. 2. *Obs. 110. n. 2.* Licet contrarium acriter defendant Bach. *ad d. §. suspectus. Inst. d. susp. tut. & ad π. Wes. ff. de his qui nor. infam. n. 4.* Tim. Fab. *in anim. D. ii. tb. 8.* Novissimè Sutholt. *Dissert. 3. aphor. fin.* ibique Seb. Beer *in Vindic.* quibus in conflictu respondebimus. Cæterum, leviores ob causas tanquam suspectus removen- dus minimè est, sed adjunctus dandus. *l. si tutor 22. ubi Bart. ff. de su- spect.*

B.

C.

D.

E.

*Specul. tut. l. impuberi ff. de tut. & cur. dat. ab his Menoch. l. 4. conf. 345. n. 4.* Q. An hic Curator, si metu incursionis militum, tempore messis fructum agri vendat, quem postea hyeme carius sibi comparavit, propterea in dolo, vel culpa sit censendus? Neg. Quia incertum est fructuum pretium, quod pro locorum & temporum varietate mutatur, *l. 17. C. de usur.* quin potius laudandus, quod ex duobus malis, minus elegerit malum, & partem de illo, quam omnem perire maluerit. (f) Veluti per cessionem, renunciationem, dispositionem, translationem, religionis ingressum, vel quamvis aliam amissionem seu dimissionem. Vid. *Don. 3. Comm. 23. in fin.*

X.

Oriuntur ex hoc contractu duæ actiones, directa, & contraria (a) Quarum utraque ex jure civili descendit, & ad heredes transit. (b) Directa competit Creditoribus, (c) ad rei restitutionem, (d) & reddendam administrationis rationem. (e) Contraria verò datur Curatori, ad repetendas impensas de suo in bona collatas, (f) unâ cum usuris. (g)

- A.** (a) Quia hic contractus regulariter solius præponentis gratiâ inicitur. Ad dijudicandum verò cui directa, vel contraria competat actio, notanda regula est: Quotiescunque par est utriusque contrahentis in obligatione conditio, toties utrinque æqualis nascitur actio: quando verò alterutrius potior est causa, (ut hic) in quem præcipuus contractus finis respicit, & ad quem maximè totum negotium refertur, huic tanquam principali, præcipua & directa datur actio, alteri contraria, ceu elegantissimè tradit Wesenb. *π. ff. de pign. act. n. 9. circa fin.* (b) *l. 9. §. 7. ff. de reb. aut. jud. possid.*
- B.** Est enim rei persecutoria, Ergo ad heredes transitoria, *§. 17. Inst. de action. tot. tit. Inst. de perp. & temp. act. l. 3. §. fin. l. pen. ff. de contr. & util. act. tut. arg. l. 5. l. 12. §. 2. l. 25. ff. de pos. l. 8. C. eod.* (c) Vel alijs præponentibus, & quorum interest. (d) Unâ cum omnibus accessorijs, & quicquid ex re fructus utilitatisque ad eum: quocunq;

cunq; tempore obvenit, *arg. l. 5. §. 9. ff. commod.* Et si quid dolo, vel lata culpa commissum, resarciat, *l. 9. ff. de reb. aut. jud. poss. (e)* E.  
Omnes enim aliena negotia gerentes, non solum humano, verum etiam divino jure administrationis suae rationem reddere coguntur, *Luc. 16. Menoch. lib. 2. de A. I. Q. cas. 209. n. 1.* Quo pacto autem reddi debeant, judicis arbitrio relinquimus cum *Menoch. d. loc. n. 12.* Quaedam tamen observatu digna recenset *J. C. l. cum servus 82. ff. de cond. & demonstr.* (1) Ut exhibeat rationes legendas in suis Codicibus, non autem in folle, h. e. inexplicatè, inexploratè atque confusè. (2) Ut data cum acceptis computentur. Ex datis enim & acceptis quid actum fuerit, apparet. (3) Ut reliquum solvat, cum rationes reddere nihil aliud sit, quàm residuum solvere, *d. l. 32. l. 8. §. 5. ff. de liber. leg.* Q. Quo tempore reddi debeant? Disting. inter illos, qui cum temporis præfinitione, & qui sine illà sunt constituti. De illis res est expedita: Hi verò quandocunque judicis videbitur ad petitionem partium reddunt, idque finito quoquo anno, sive in calce administrationis, *Escobar. d. tr. de ratiocin. adm. c. 6. 85.* De rationibus privatorum, an illis plena, vel semiplena fides sit adhibenda, gravis est inter *Dd.* controversia: Quibusdam illis plenam esse adhibendam fidem contendentibus, motis *l. 9. §. 2. ff. Edend.* idèq; ad rationes mercatorum, campforum & aliorum extendentibus, quos rectè reprehendit *Sichard. ad l. 3. C. de reb. cred.* cum dispar illorum ratio; quia nummulariorum, de quibus *d. l. 9.* loquitur, publicum erat officium ac juratum, *l. 10. §. 1. ff. Edend.* ut hodiè thesaurariorum civitatum, & cambium publicum, *Wechsel/exercentium*: quod secus in mercatoribus & alijs privatis suà voluntate & sine juramento negotiantibus, nisi consuetudine vel statutis municipalibus ut illis, maximè qui bonæ famæ, credatur, sit obtentum *Sichard. ad l. 7. C. de probat.* Nos, hoc in casu spectandum putamus, quid verisimile, quæ persona scribentis, quanta summa, ut ex illis plenè, vel semiplenè, vel nihil probatum sit, existimari possit. Unde & hodiè, quoties controversia ex illis oritur, quidam à partibus eligi (vulgo *Commissarij dicti*) vel à judice deputari consuevère, ut illas perlustrent, calculum subducant, & quæcunq; in illis desiderari videntur, exponant, idque arbitrio boni viri. Arbitrium enim nihil

C

hil

hil aliud significat, quàm iudicium æquo & bono consentaneum, quale à viro bono expectari proferri que oportet, l. 22. §. 1. de reg. jur. l. 7. ff. de contrab. emt. l. 1. de leg. 2. l. 30. ff. de oper. libert. Non igitur curiosi in illis l. 19. & ibi Bart. n. 5. & 7. ff. de novat. nec dolosè, vel per gratiam, in computatione, & alijs inibi contentis, versari, vel scrupulosè inquirere debent, l. 6. ff. de jur. & fact. ignor. cum nemo alterius lucro sit prægravandus, l. non debet, de R. I. in 6. nec alteri per alterum iniqua conditio inferenda l. 75. ff. de R. I. Quod si factum constiterit, adversus illos actio ad interesse competit, l. 3. l. fin. ff. si mens. fals. mod. dix. & rationes denuò retractandæ & calculandæ officio iudicis, Escobar. d. tr. c. 41. n. 30. Quamvis enim hic Curator probare debeat, omnia libri rationum capita esse vera, l. iii. ff. de cond. & demonstr. attamen illa probatio fieri poterit per privata syngrapha, nec semper authentica Instrumenta, aut testes omni exceptione majores, exposcit: imò admittuntur probationes per conjecturas, arbitrio iudicis æstimandas. In minutis namque & probatu difficilibus standum est ejus juramento, absque alia probatione, Escob. d. tr. c. 10. n. 58. & seq. Q. An & domestici ad ejus probationem admittantur? Aff. Quamvis enim non sint idonei testes, quos actor de domo producit, in illis tamen quæ domi geruntur, & verisimilius ab his sciuntur, (quia res domi gesta per extraneos facile doceri non potest, c. super. prudentum 13. q. 2.) rectè domesticis locus est, c. veniens. X. de testib. (f) l. 9. ff. de reb. aut. jud. possid. Nam hoc naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiozem, l. 14. ff. de condict. indeb. l. 206. ff. de R. I. cum nemini officium suum debeat esse damnosum, l. 7. ff. quemadm. test. aper. & regula in jure notissima, quod, ubi quis pro rerum acquisitione & administratione expendit, talis expensa omnino sit ei in calculo recipienda: nullus enim est casus, qui hoc deductionis genus impediatur, l. 51. ff. fam. ercisc. ne in prædonibus quidem, ex naturali æquitate, l. 36. in fin. ff. de petit. hered. adeò ut tacitam hypothecam habeat, qui in rei alicujus refectionem credidit, l. 5. cum seq. ff. qui pot. in pign. Non tamen probabilem in expendendo modum excedere debet, quod an factum sit, vel non, iudicis arbitrio tamen committimus. Ille namque æstimabit circa has expensas quali-

qualitatem rei, an fuerit magna, an exigua, pretiosa, an vilis, actus-  
que qualitatem videbit, h. e. factum impensarum, an fuerit verifi-  
mile, & an probationes faciliter vel minus parari queant. Perso-  
nam autem observabit, an fuerit spectatae & probatae fidei. Quam  
sententiam in praxi receptam, se patrocinate, expertum esse testatur  
Escob. d. tr. c. 25. n. 4. Quando enim rationes verisimilia conti-  
nent & causae expensarum assignatae, etiam si illae magnae videantur,  
nihilominus standum est juramento administratoris, & ejus libro  
credendum, absq; alia probatione, Escob. c. 10. n. 64. Menoch. de  
A. l. Q. cas. 209. n. 34. maxime si protestatus sit, se suas rationes co-  
ram Deo & hominibus justificaturum, & in illis obdormijt, cum ne-  
mo tum temporis praesumatur immemor suae salutis aeternae, l. fin.  
C. ad L. Jul. repetund. c. sancimus 1. q. 7. Ob quam rationem & li-  
bris mercatorum, mortuo scribente, absque juramento credi, quod  
mors non minorem fidem, quam juramentum mereatur, & secun-  
dum hanc notabilem doctrinam in Camera judicatum fuisse, test.  
Gail. 2. Obs. 43. n. 6. Q. Qua actione impensae repeti possint? Di-  
sting. inter illum, qui rem adhuc possidet, & qui non. Priori casu  
competit vel retentio rei, per exceptionem doli, §. 30 J. de R. D. l. 39.  
§. 1. ff. de petit. hered. l. 33. in fin. ff. de cond. et. indeb. l. 14. ff. de dol. mal.  
except. l. 14. §. 1. ff. comm. divid. l. 1. ff. de vi & vi arm. Gail. 2. Obs.  
12. n. 6. facilius siquidem datur retentio, quam actio, l. 1. pr. ff. de pi-  
gnor. l. 156. §. 1. ff. de R. I. Zanger. d. Except. part. 3. c. 13. n. 25. vel  
imploratio officij judicis, l. 38 v. & id ipsum ff. de petit. hered. l. 11. in fin.  
ff. de noxal. act. l. 48 ff. de re vind. Vel operis facti deductio sive ab-  
latio, l. 37. ff. de re. vind. l. 5. C. eod. Posteriori vero casu pro rei con-  
ditione alia atque alia competunt remedia. Si enim ille qui impen-  
dit, rem ex contractu quodam sit consecutus, ejusdem contractus a-  
ctione illas repetit, veluti actione mandati, si ex mandato, vel si-  
ne illo, utili negotiorum gestorum, l. 14. §. 1. ff. de neg. gest. & t. t. ff.  
& C. eod. quam recte subsidiariam & varijs negotijs accommoda-  
tam ait Bachov. ad Treut. D. 10. th. 1. lit. A. Quamvis autem man-  
dati fines diligenter sint custodiendi, §. 8. Inst. mand. l. 5. ff. eod. non  
tamen illos excedit, qui id fecit, sine quo mandatum commodè im-  
pleri non potuit, l. 56. l. 62. ff. de Procur. Qui enim vult consequens,  
C 2 & velle

G. & velle debet necessarium antecedens. (g) l. 18. C. de neg. gest. l. 19 §. 4. ff. eod. l. 3. ff. de contr. & util. act. tut. l. 12 §. 9. ff. mand. l. 1. C. eod. præsertim si ipse ab alijs sit mutuatus. Cum nemo alteri benignè suo cum detrimento facere cogatur, l. 1 §. 11. ff. de aq. plu. arc. & ne quidem ipse Apostolus vult nos sic commodare alijs, ut nobis sit afflictio. 2. Cor. 8. v. 13.

XI.

Ultimùm de Salario quæritur. An huic Curatori debeatur? Et si deberur, ut constanter affirmamus, (a) quâ actione illud petatur? (b)

A. (a) Tam illi, cui ab initio certum est constitutum, de quo minus dubitatur, cum actus à partium conventionem legem accipiat, l. 1 §. 6. ff. de pos. nisi gratis illum esse administraturum, constet, licet nihilominus ad *ἀντίδωρον* teneantur, l. 25 §. 11. ff. de petit. hered. quàm illi, cui certum non est assignatum. Cum merces laborum comes esse debeat, Nov. 82. c. 9. & ratio naturalis dicat, simulac divina, dignum esse operarium mercede suâ, ideoque quem vis administratorem, qui solitus fuerit recipere salarium, pro qualitate impensi laboris illud petere, & in calculo recipere posse concludit Escobar d. tr. de rat. admin. c. 27. n. 50. eò quod ad officium simpliciter electus, cum salario consueto electus esse censeatur, secundum quam sententiam sæpè iudicatum meminit præd. loc. n. 11. Non enim est verisimile quem gratis operas locasse, arg. l. 25. ff. de probat. (b) Ubi eadem in th. præced. adducta distinctio est tenenda, ut illis, quibus ab initio salarium constitutum, pro varietate & diversitate contractuum, prodiæ sint actiones. Quod si vero nihil penitus inter partes sit conventum, officium iudicis, quod in æquitate positum est, impleretur necesse est, ut in simili de salario Advocati respondet Ulp. l. 1 §. 10. ff. de var. & extraord. cognit. Iudex enim in decernendo illo considerabit servitij genus, an in rebus levibus, vel gravibus sive onerosis consistat, inspectâ etiam qualitate personæ & alijs huiusmodi circumstantijs, considerando semper consuetudinem loci, ut pro modo aucti laboris, augeatur & salarium, Menoch.

noch de A. I. Q. cas. 515. n. ult. Quas actiones quasi sub epilogo collegit gloss. l. un. C. de Suffrag. & ibi Sichard. & alij, quibus add. gloss. l. 7. ff. mand. Schneid. §. fin. n. 5. & 6. Inst. Mand. Q. An Curatore hoc bonorum initio anni coeptæ administrationis mortuo, torius anni salarium heredibus ejus debeatur? Aff. arg. l. 1. §. Divus 3. ff. de var. & eximord. cogn. l. qui operas in fin. 38. ff. locat. l. properandum 11. §. 9. C. de judic. Geil. 1. Obs. 44. n. 12. And. Rauch. p. 1. q. 25. n. 9. Ex eâ potissimum ratione, quod sc. intuitu administrationis honorarium potius quam mercedem accipiat. Dn. Carpz. I. Forens. S. p. 2. const. 5. d. 10. n. 1. & Constit. 51. def. 12. n. 4. Coronidis loco Curatori huic privilegium prælationis pro impensis ad conservanda debitoris bona, eorumq; æstimationem, confectioem Inventarij, sumptus litis &c. erogatis, tribuimus per. l. 5. ff. qui pot. in pign. l. 26. l. 34. ff. de reb. aut. jud. possid. l. 1. ff. de cess. bon. Hi enim sumptus maximam habent necessitatem & absque magno omnium Creditorum damno intermitti nequeunt. Quare eleganter Papi- nianus Jctus respondet, illos sumptus, qui necessario fiunt, semper præcedere, l. quod privilegium 8. ff. depos. Imò etiam hoc privilegi- um pro impensis in culturam agrorum factis, Dn. Carpzov. 7. Fo- rens. p. 1. C. 28. def. 36. frumento sementario competit, Carpz. d. const. 28. d. 37. Et denique salarium Curatoris non secus ac merces familiæ præ alijs Creditoribus Jure Saxonico solvitur. Dn. Moller. ad Constit. Saxon. p. 1. Const. 28. n. ult. ubi ita in magna quâdam cau- sâ judicatum testatur: Et ratio privilegij est, quod hujus studio & operâ omnis substantia debitorum & ipsi, & Creditoribus salva conservatur; quo nomine etiam utrisq; tenetur, l. 2. §. ult. & l. seq. ff. de cur. bon. dand. Dn. Carpz. d. Const. 28. def. 36. n. 5. & seq. Vere- lich. p. 1. Conclus. pract. 64. n. 71. & seq. Et hæc in præsentiarum de propositâ materiâ sufficiant.

Pro quo  
SOLI DEO TRINUNI SIT LAUS, HONOR  
ET GLORIA

**H**unc aliis, aliumq, alijs clementia Jovæ  
Indefessa parat condecorare bonis.

Sunt, queis ingenui dotes, queis munera mentis  
Curare insomni sedulitate placet.

Sunt, quos excruciat refluentium cura bonorum,  
Ut requies animo ne fiet ulla vago.

Sunt, quos difficilis priorum cura fatiget,  
Et pupillorum tangat et angat onus.

Hos RATHERE lubet Themidos monstrasse  
se coronæ,

Hos cathedras doctas personuisse jurvat.

Macte animi decus Astræe, bona terrea cures,  
Ut constet mentis prævaluisse bona.

Sic Tibi sacra Themis bona non terrena pa-  
rabit,

Sic poteris summi gemma nitere boni.

Ita eruditissimo DN. Respondenti con-  
terraneo & Consalino suo dilectis-  
simo gratulabundus acclamabat

M. HERMANNUS Hofelman  
Rintel. Schawenb.

Ad



*Ad Præstantissimum & Literatissimum Dominum  
Respondentem amicum & Commensalem suum  
dilectissimum:*

**Q**uid mea musa paras laudes explere canendo  
Ejus, qui nostræ, dimidium est animæ.  
Suffecere quidem dicendo maximo Achilli.  
Carmina laudati deveneranda Senis.  
Æneam parili carmen subvexit ad astra.  
Virgilij nostri Principis absq; pari.  
Verum esto licitum magnis componere parva  
Tantos exornant carmina, tanta viros.  
Nos qui nescimus verbis conjungere verba  
Carmina proferre haud nostra decebit huic.  
Quare Phæbe Pater citharam plectrumq; capeffe  
RATHERI ad laudes; sin minus id placeat.  
Elige qui possit dignos conscribere versus  
Condigno Juveni, nosque tacere jube.  
Sufficiat nobis præsentis condere laudi:  
Perge ita, sicq; tuæ carus eris patriæ.

*f. gratulab.*

LEONHARD Pechman Sonderburgô  
Holsatus.

---

**V**ulgus ait: Jurisprudentes jure vocantur  
Prudentes, siquidem querere priva studet.  
Sic ait imprudens, cum nec discernere nôrit  
Jurisprudentes, Harpyiasq; truces.

Hö

Hi liquido leges, ut ceram; jure retorquent,  
Illi jura catâ volvere mente solent.  
Hi libra similes, quæ partem vergit ad illam,  
Unde manus premit, aut pondera plura capit.  
Illis cuncta placet verâ suspendere lance  
Jura cupita bonis, noxia ferre malis.  
His neq; pupillis, viduis neq; parcere cautum,  
Illi utrosq; parant lege beare sacrâ.  
Hos meus immiti cave pejus & angue RATHÉ-  
RUS

Odit, at illorum dogmata diâ docet:  
Afferit innocuos, arcet damnosa ferentes,  
Hinc Themidos capiet summa brabeâ Deæ.

aut ex so.

ab


HENRICO LOHMANNO  
Itzehoâ-Holsato.

F I N I S

06 A 1020

ULB Halle  
003 767 787

3




VD 17

VD 17







DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
**CURATORIBUS**  
**BONORUM**

*Quam*  
Divinâ Favente Gratiâ

*Ex*  
Consensu atq; autoritate Amplissimi ac Nobilissimi  
JCTORUM Ordinis in Illustrissimâ ad Albim Acade-  
miâ WITTEBERGENSI

PRÆSIDE

*Clarissimo & Consultissimo Viro,*  
**DN. JUSTO BERNHARDO**  
*HOFFMANN* / Herfurtense Westphalo J. U. D.

*Dn. Fautore, Promotore, ac Conterraneo suo*  
*quovis honoris cultu prosequendo*

*ad d. VI. IXbris.*

In Auditorio Jctorum  
horis matutinis

*Publicè ventilandam exhibet*

**FRANCISCUS OTTHO Rathers**  
Mind. Westphalus.]

WITTEBERGÆ,  
Ex officinâ Typograph. MICHAELIS Wendt.  
Anno MDC XLVIII.